DE ANTIQUIS THURINGIS

PARS I.

DE ORIGINE THURINGORUM.

DISSERTATIO INAUGURALIS HISTORICA

QUAM

CONCESSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PRO SUMMIS

IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE IMPETRATIS

DIE XX. MAII A. MDCCCLXII.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ADOLPHUS GLOËL

SAXO-BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

A. LAMBERT, CAND. PHIL.

A. GLOËL, STUD. THEOL.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41546028_0085

A. De origine Thuringorum.

I.

Exstat fere nulla alia quaestio, qua viri docti antiquitus tantum inter se dissenserunt, quantum in quaestione dijudicanda de origine Thuringorum. Nam nulla fere exsistit gens Germanica aliquanto major, a qua origo eorum vel nomen derivata non sint. Ut fabulas a sana mente nimium dissidentes transeam (ut apud Francos sic etiam apud Thuringos exsistit fabula, quae originem deducat a Trojanis, altera eos deducebat de militibus Alexandri magni fabulae, quae proferuntur a. Albert Krantz, Glossator des Sachsenspiegels Sagittar. I. 4.) priore tempore — ab XVI saeculo usque ad finem XVIII saec. — sententia maxime divulgata erat ea, quae originem Thuringorum a Gothis ipsis sive a gentibus Gothis propinquis deducebat. Priorum fuerunt maxime Tyragetae, quorum de origine Gothica tunc temporis nemo dubitabat, qui auctores habebantur Thuringorum, deinde Thervingi, posteriorum Wandali, Werini, Reudigni. Alii deinde originem eorum deducebant a gentibus Germanicis, quas occidentates dicere liceat, ab Etruscis, Saxonibus, Turonibus, Teuriochaemis, Hermunduris. Sed hae sententiae tunc temporis minus probatae fuerunt.[1])

[1]) Variae sententiae proferuntur ap. Sagittarius, antiquitates regni Thuringici Jena 1661. lib. I. c. 4. I. 2. Türk, Forschungen,
cf. Gaupp, das alte Gesetz d. Thüringer. p. 74—80.

Omnium harum sententiarum nostra aetate una tantummodo comprobatur, ea enim, qua Hermunduros auctores esse Thuringorum demonstratur. Quare mihi liceat, priusquam longius progrediar, huic sententiae quae fides sit habenda, paucis attingere. Existimo vero sententiam hanc argumentis non multo firmioribus confirmari, quam alias sententias oblivioni jam diu traditas. [2])

F. H. Müller, die deutschen Stämme und ihre Fürsten I. 367—373.

a **Thyragetis**: Thuringorum originem XVI saeculo doctissimi viri deduxerunt:

Philipp Melanchton, Caspar Peucerus, Resellianus, Stigelius (cf. Sagittar. I. 4. 8. I. 2. 2.)

a **Thervingis**: primus C. Barthius Adversar. IX. 29. inprimis Mascou Geschichte der Teutschen bis zum Abgang d. Meroving. Könige. IX. c. 30.

a **Reudignis**: Phil. Cluverius Germanicae antiquitates III. c. 27. Bucherius Belgii Romar XIII. c. 1. p. 194. Leibnitz.

a **Cheruscis**: Caspar Dankwert Schlesswig u. Holstein'sche Landesbeschreibung I. 7.

nostra aetate: Luden, Geschichte des Teutsch. Volks II. 394. 395. Gaupp, das alte Recht §. 74.

a **Saxonibus**: Brotuffii genealog. etc. Eichhorn, deutsche Staats- und Rechtsgeschichte I, 617.

Ex aliis (Wilhelm, Germanien p. 276. 280.) Thuringi ex conjunctione Warnorum et Angliorum Suevicorum cum Etruscis Turonibus et Teuriochaemis (qui ab aliis Hermunduris adnumerantur) exorti sunt, ex aliis (v. Wersebe, über d. Völkerbündnisse des alten Deutschlands S. 220.) ex conjunctione septem Suevicarum gentium, quarum Tacitus (German. c. 40.) mentionem facit. (Reudigni deinde et Aviones et Angli et Warini et Eudoses et Suardones et Nuithones.)

[2]) Hanc sententiam propositam a Conringo (Prima editio Taciti Germaniae etc. De antiquissimo Helmstadii statu cf. Sagittar. I. 4) initio hujus saeculi maxime defendit

Adelung, älteste Geschichte der Teutschen 1806. deinde: Mannert, Germanien p. 203.

Philipps, deutsche Staats- und Rechtsgeschichte.

Zeuss, die Deutschen und die Nachbarstämme 353—357.

J. Grimm, Geschichte der deutschen Sprache. S. 597.

G. Waitz, Verfassungsgeschichte II. 29.

Quod ad consensionem finium ambarum gentium pertinet, unde argumentum aequitatis Thuringorum et Hermundurorum a doctis viris deducitur, de accurata consensione cogitari non potest. Nam constat, Thuringorum nomen, maxime ad septentrionem versus multo latius patuisse quam Hermundurorum. Itaque defensores hujus sententiae ipsi, Thuringorum nomine non solum Duros sed alias etiam nationes, Nariscos, Marcomannos (Zeuss 355. Leo, Vorlesungen I. 240.), cum Duris consociatas fuisse significatas ut existiment, coacti sunt.

At concesso, consensionem finium ambarum gentium exstitisse, tamen quum Hermunduri primo post n. Chr. saeculo, Thuringi quinto demum iisdem in regionibus commemorentur — spatio igitur non solum trium saeculorum intermisso, sed migratione gentium, quae dicitur, interjacente, qua pleraque nomina gentium primo et secundo saeculo commemoratarum plane evanescunt, ex consensione hac argumentum pro aequitate Hermundurorum et Thuringorum deduci non posset, etiamsi, ubi Hermunduri mansissent, omnino non esset cognoscendum.

(Zeuss S. 354. „Dass diese Thüringer kein verschiedenes Volk sind von den früheren Hermunduri, kann mit Sicherheit behauptet werden, da sich nicht nachweisen lässt, wohin sich diese verloren hätten“ etc.)

At ubi et quo modo nomen et gens Hermundurorum evanuerit, minus incertum esse videtur. Verisimile fit, ut nomen eorum in nomine Marcomannorum sive Suevorum interierit. Et antiquis temporibus Hermunduri ad orientem versus magis se extendisse videntur, quam ad occi-

---

v. Ledebur, die Hermundurer oder Thüringer. Historisch-geographische Abhandlung. Berlin 1852.

H. Leo, Vorlesungen über deutsche Geschichte I. 237—240. (cf. Universalgesch. 3. Aufl. II. S. 72.)

dentem versus, in regionibus ad dextram Albis ripam sitis majorem vim praebent, quam in occidentalibus Germaniae regionibus, ad Rhenum versus sitis. (Zeuss 355.); semper fere ii nominantur una cum Marcomannis. Ita primo p. n. Ch. saeculo duce Vibilio regnum evertunt Catualdae (Taciti annales II. 63. XII. 29.), regis Marcomannorum, earum gentium, quibus antea Marbod praeerat, deinde evertunt regnum Vannii, cujus regnum inter fluvios Marum et Cusum erat situm. (Tacit. annal. XII. 29.) Imperium igitur Vibilii atque Hermundurorum post Vannium expulsum latius patuisse videtur, ita ut Bohemiam, Moraviam, septentrionalem Ungariae hodiernae partem, eas igitur regiones in se contineret, quas a Marcomannis et Suevicis Quadis tunc temporis habitatas fuisse constat. [3])

---

[3]) Hermunduros, quibus Vibilius praeerat, partem fuisse primariam Hermundurorum, ex potentia apparet, quam ii praebent. Inde verisimile fit, ut sedes Hermundurorum primo p. n. Ch. saeculo in dextra Albis ripa fuerint. Comprobatur haec sententia Strabonis testimonio, qui Longobardos et Hermunduros ulteriorem in ripam Albis (dextram) profectos esse dicit. (Strabo VII. 1. *Μέρος δέ τι αὐτῶν (Σοήβων) καὶ πέραν τοῦ Ἄλβιος νέμεται, καθάπερ Ἑρμόνδοροι καὶ Λαγκόβαρδοι νυνὶ δὲ καὶ τελέως εἰς τὴν περαίαν οὗτοι γε ἐκπεπτώκασι φεύγοντες.*) Comprobatur deinde testimonio Taciti (Tacit. German. c. 41.) ex quo Albis in Hermundurorum finibus oritur. Nec vero repugnat huic sententiae Vellejus, quum dicat Albim Semnonum et Hermundurorum fines praeterfluere (Vellejus II. 106. Ad Albim fluvium, qui Semnonum Hermundurorumque fines praeterfluit). Nihil aliud is vult dicere ex mea sententia quam ut Albis communis sit finis ambarum gentium, non vero — id quod plerique existimant — fluvium Albim inter duas gentes interpositum esse finem. Sententia mea probata testimonia Strabonis et Taciti rejicere non amplius necesse est. Distinguendae vero sunt, ut videtur, duae partes Hermundurorum, orientales, qui in Bohemia et regionibus inde ad orientem versus sitis sedes habuerunt — pars primaria — et occidentales, qui Chattis fuerunt vicini; posteriores, quibus aliqua de causa patria relicta ad Danubii limitem sedes concedebantur, iidem sunt, quorum mentio fit ap. Dionem Cassium. (Dion. Cass. historiarum fragm. a Josepho Morellio edita Bassani. p. 32. „*Ὁ γὰρ Δομί-*

Iisdem in regionibus orientalibus Hermunduri medio secundo saeculo apparent in gentibus, quae Romanis bellum inferunt, quod Marcomannicum nominari solet. Nam gentes, quae tunc temporis in Romanum limitem prorumpunt, communi significantur nomine Marcomanni. Satis igitur perspicue apparet, Hermunduros, cum in his gentibus commemorentur jam tum ampliori denominatione Marcomannorum esse usos. Itaque mirandum non est, quod proprium nomen sub ampliori — id quod his temporibus saepius fit — interierit nec posterioribus saeculis commemoratur. [4])

Rationes deinde sunt praecipue etymologicae, quibus sententia haec (Thuringorum originem deducendam esse ab Hermunduris) confirmatur. Cognoscitur enim in posteriore parte vocis „Hermundurus“ radix vocis „Thuringus“. Prior pars „Hermun“ ex aliorum sententia vim habet intensivam, ita ut totius vocis significatio sit Hermunduri magni (nostra lingua: Hauptduren. Grosse Duren. J. Grimm 600. Leo I, 239) qui a minoribus Duris distinguerentur, ex aliorum sententia ea cohaeret cum voce „Hermiones“, ut significatio sit „Hermionici Duri, qui ab Duris gentibus Hermionicis non adnumerandis essent distinguendi (v. Ledebur, Hermundur. etc. S. 36.). Ut transeam, derivationem

---

τιος πρότερον μὲν ἕως ἔτι τῶν πρὸς τῷ Ἴστρῳ χωρίων ἦρχε, τούς τε Ἑρμονδούρους ἐκ τῆς οἰκείας οὐκ οἶδ' ὅπως ἐξαναστάντας καὶ κατὰ ζήτησιν ἑτέρας γῆς πλανωμένους ὑπολαβὼν ἐν μέρει τῆς Μαρκομαννίδος κατώκισεν.

[4]) Nominat Hermunduros una cum Marcomannis bis Capitolinus.

c. 27. (a. 178.) Triennio bellum postea cum Marcomannis, Hermunduris, Sarmatis, Quadis egit.

c. 22. (a. 152.) Gentes omnes ab Illirici limite usque in Galliam conspiraverant, ut Marcomanni, Narisci, Hermunduri et Quadi, Suevi, Sarmatae, Latringes et Buri.

vocis „Thuringus“ a voce „Durus“ legibus linguae constitutis repugnare — id, quod defensores hujus sententiae ipsi concedunt — (Grimm. S. 600 „Nur wird hier das Gesetz der Lautverschiebung gefährdet, wonach Gothisch Th in ahd D ein lat. T nicht D erwarten liessen, cf. Zeuss 354) ex ambabus derivationibus Durus nomen gentis habetur, ex ambabus derivationibus postulantur simplices, ut ita dicam, Duri, a quibus Hermunduri distinguantur. Quocunque vero oculos convertimus, nusquam Duri simplices nobis occurrunt neque aut Duros ipsos aut Duriam invenimus. Nam duo exempla, quae afferuntur, nil sane comprobant. Ridiculo fere modo regio, cui nomen esset Duria, detecta est a Ledebur (v. Ledebur Hermundurer etc. S. 53. 54) locum afferente Plinii (Plin. histor. natur. IV. 12: „Superiora autem inter Danubium et Hercinium saltum usque ad Pannonica hiberna Carnunti Germanorumque ibi confinium campos et plana Jazyges Sarmatae, Montes vero et saltus pulsi ab his Daci ad Pathissum amnem. A Maro sive is Duria est, a Suevis regnoque Vanniano dirimens eos aversa Bastarnae tenent aliique inde Germani).

Duria, cujus Plinius hoc loco mentionem facit non regio sed fluvius est, quod ex verborum conjunctione (perspicue ex voce „is“) melius cognoscitur, quam ut argumento opus esset; scriptor nomen fluvii, non accurate cognoscit; nescit Marus sit finis an alius fluvius, cui nomen est Duria. Duria vero nomen est fluvii, quod saepius variis in regionibus nobis occurrit. Ita in Hispania invenimus Durium (Duero); in Gallia cisalpina duo minores fluvios, Duriam et Dueriam, quorum alter in Grajis, alter in Cotticis Alpibus oritur quique in Padum exeunt.

Non majoris est momenti, pagum „Thurgau“ in Helvetia inter Tugurium urbem et lacum Brigantinum situm in documentis octavi et decimi saeculi p. n. Chr. pagum

Duriam saepius denominari. Non magis haec denominatio ad gentem aliquam Durorum respicit, quam Duria loco Plinii, quem dixi, commemorata. Non dubium mihi fit, quin ea etiam cum fluvii nomine cohaereat. Duria antiquum fuit, ni fallor, nomen fluvii, qui nunc Thur dicitur, ita ut ex voce Duria vox Thur eodem modo sit derivata, quo ex durum, quod in urbium nominibus occurrit iisdem in regionibus sitarum, Thur sive Thurn exstitit (ex Vitodurum exortum est: Winterthur, ex Solodurum: Solothurn). Nullo igitur modo vox haec Duria derivanda est a Tulingis, quos J. Caesar (de bello Gallico I. 5.) commemorat, etiamsi iisdem fere in regionibus eos habitavisse constet (v. Ledebur S. 39. Leo I, 238). Quum enim Durorum ipsorum nusquam vestigium inveniatur in loco eorum tales positae sunt gentes quarum nomina similitudinem aliquam cum Durorum, etiamsi minimam produnt, ut Tulingorum, Tungrorum, Turonum (v. Ledebur S. 43—49 id. 54; terrae Duriae detectae is incolas dare studuit; sedes ibi vult esse Turonum a Ptolemaeo commemoratorum).

Quum summi sit arbitrii gentes has Duros atque Hermunduris propinquas habere non opus est sententias has argumentis longius refellere, praesertim quum gentem Durorum nunquam exstitisse argumentis confirmetur.

Mirandum sane est, quod tam diu in syllabis „durus“ nomen gentis latere a doctis viris est existimatum, quum eaedem syllabae in urbium et fluminum nominibus saepissime nobis occurrant.[5])

---

[5]) Sitae fuerunt in Gallia haec oppida in durum desinentia: Autissiodorum (hod. Auxerre ad Yonne) Brivodurum (Briarre) Augustodurum (Bayeux) Durocorterum (Rheims) Durocatalaunum (Chalons) Marcodurum (Duren) Durocasses (Dreux); in Helvetia:

His in nominibus quin duro vel durum eadem sit vox, quae in „Hermundurus“ invenitur, non causa est, cur dubitemus. Quis vero non videat, hanc vocem „durum“ non gentem aliquam Durorum, unde urbis nomen deductum sit, sed non nisi terminum vocabuli significare? Nam primum diversissimis in regionibus hae urbes sunt sitae, deinde saepius in altera parte vocabuli cum durum compositi nomen gentis cognoscitur, ut in Bojodurum, Autesiodurum, Durocatalaunum, Durocasses, ubi in primis partibus vocabulorum, Bojo, Autesio, Catalauni, Casses, gentium nomina perspicue cognoscimus. Non igitur — ut ad vocem „Hermundurus“ redeam, in posteriore parte „durum“, sed in priore „Hermun“ significatio primaria et nomen gentis latet, ita ut Hermunduri sint Hermiones, qui voce „Durus“ — quaecunque significatio est — ab aliis Hermionicis gentibus distinguebantur. Quis vero concesso in „Hermun“ nomen rectum gentis latere, arbitretur parte vocis primaria rejecta, terminatione „durum“ reservata, ex voce „Hermundurus“ vocem „Thuringus“ esse exortam? [6])

Postremo mentionem facio loci Jornandis, quo quarto etiam p. n. Ch. saeculo Hermunduri commemorantur (Jornandes de rebus actuque Getarum c. 22 „Erant namque

---

Solodurum (Solothurn) Vitodurum (Winterthur) Octodurum; in Britannia: Durovernum (Canterbury) Durotriges (Dorchester) Lactodurum, Durobriva, Durovornovium.

[6]) Durum terminationem cum fluviorum nominibus cohaerere (Duria Durius) eo confirmari videtur, quod oppida fere omnia in durum desinentia ad fluvios vel ad oram maritimam sunt sita. Hermunduri igitur a Celticis gentibus ii sunt nominati Hermiones, qui ad fluvium magnum (Albim fortasse sive ad fluvium Duriam) habitabant. Nam quum et flumina et oppida in durum desinentia praecipue in regionibus a Celtis quondam habitatis inveniantur, quum in Italia ipsa nullum, quantum scio, oppidum in durum desinens esset situm, non dubium mihi esse videtur, quin durum, vox sit e Celtica lingua prompta.

illis (Wandalis) tunc ab oriente Gothi, ab occidente Marcomanni, a septentrione Hermunduri" res, quas scriptor exponit, anno fere 330 gestae sunt a rege Geberich, aequali Constantini Magni). Causa, cur hanc commemorationem Hermundurorum rejiciamus — id quod docti viri volunt (Zeuss 351. Leo 239) — non exstat. Sed neglecto Jornandes erraverit necne, id quidem hoc loco comprobatur, Jornandem, quum duobus locis Thuringorum mentionem faciat, de origine Thuringorum ab Hermunduris nil scire videri.

II.

Quantumcunque quum omnibus in rebus tum maxime in historia Germanica investiganda aetas nostra profecerit, in quaestione de Thuringorum origine saecula praeterita ad veritatem propius mihi accessisse videntur, quam nostra. In iis, qui antiquo tempore Thuringorum originem a Gothicis gentibus deduxerunt, ut vidimus, historici fuerunt, qui Thervingos fuisse auctores eorum existimaverunt. Haec sententia, quae a Barthio primo proposita, deinde a Mascou est probata, ita tamen, ut non argumenta accuratius afferentur, omnium sententiarum, quae unquâm de Thuringorum origine allatae sunt, summam speciem probabilitatis habere mihi videtur. Thuringi ex hac sententia gens sunt mixta, cujus altera pars Thervingi sive Thuringi ipsi, altera indigenae fuerunt incolae, quorum terras Thervingi advenae occupabant, ita ut Gothicae atque gentes Germanis occidentalibus adnumerandae in regno antiquo Thuringico quodammodo fuerint conjuncti.

Nostra etiam aetate haec sententia a doctis viris non plane rejecta est; nonnulli eorum, etiamsi originem Thu-

ringorum ab Hermunduris deducant, tamen conjunctionem et propinquitatem inter Thuringos et Thervingos exsistere volunt. (J. Grimm, Geschichte etc. S. 449. 597. v. Ledebur, Hermundur. etc. 56—59.) ita ut Thervingi etiam ab Hermunduris sive Duris sint derivandi. Sed haec sententia plane est rejicienda, quum argumentis gravissimis Thervingos Gothicam esse gentem comprobetur, de arcta igitur propinquitate Hermundurorum et Thervingorum non sit cogitandum. [7])

---

[7]) Serio de Gothica Thervingorum origine dubitari non potest; neque eo secius dubitat Ledebur (S. 57.); non Gothos ipsos fuisse arbitratur, sed societati Gothorum ampliori, ut ita dicam, adnumerandos. Repugnant huic sententiae testimonia omnium scriptorum, qui Thervingorum mentionem faciunt. Primus Gothos nominat Thervingos rhetor Mamertinus (Cl. Mamertini Genthliac. Maximiani l. III. c. 18:

„Gothi Burgundiones penitus excindunt. Rursum pro victis armantur Alamanni; itemque Thervingi, pars alia Gothorum, adjuncta manu Thaifalorum, adversum Vandalos Gepidesque concurrunt.“ Negat quidem Ledebur Thervingos hoc loco Gothos nominari, quum post „Thervingi“ gravius esse distinguendum censeat. At sine ulla causa. Vocem, Thervingi esse conjungendam cum sequentibus verbis (pars alia Gothorum) perspicue apparet ex verbo finito „concurrunt“, quod, si „Thervingi“ cum antecedentibus verbis conjungeretur, ad „pars“ respiceret; deinde nomen „alius gentis“ desideraretur, quod, quum aliarum gentium commemoratarum nomina dicantur, esse omissum, vix existimari potest. Thervingi denique a duobus scriptoribus una cum Thervingis commemorantur socii eorum. (Eutropius VIII. 2. incolas Daciae nominat Thaifalos, Thervingos, Victofalos. „Trajanus... Daciam, Decebalo victo, provincia trans Danubium facta in his agris, quos nunc Thaifali habent, Victoali et Thervingi“; — ex Ammiani loco (XXXI. 3. ubi sedes eorum maro a Thervingis exstructo esse circumdatas enarrat) socios et amicos Thervingorum Thaifalos fuisse apparet.) Inde verisimile fit, ut Thervingi et Thaifali etiam hoc loco Mamertini ut socii commemorentur.

At concesso etiam Thervingos a Mamertino non Gothos habitos esse, Ammiani Marcellini tamen testimonio originis eos esse Gothicae satis perspicue comprobatur. Quin denominatione is Thervingi pro „Gothi“ est usus. Gothos enim, qui Romanas in

Gravissimum sententiae a me propositae argumentum ex iis deduco, quae Ammianus Marcellinus de rebus Gothicis, quales eo tempore, quum invasio Hunnorum facta sit, fuerint, memoriae tradit.

Hunni, Gothis orientalibus in regionibus inter Danastum et Tanaim habitantibus, quibus Hermanrich rex praefuerat, oppressis, Athanaricum, principem Thervingorum dolo ad Danastum superatum, ut dextram in Gerasi ripam se reciperet cum suis, coegerunt. Hic muro Gerasi secundum ripam exstructo Hunnorum impetui aliquamdiu restitit atque diutius fortasse restitisset, ni pars major Gothorum, quibus praeerat, eum reliquisset et venia ab imperatore Valente data in dextram Danubii ripam se contulisset (Ammian. XXXI. 3). Ab hoc igitur tempore duae partes Gothorum occidentalium inter se diversae sunt distinguendae, altera in sinistra Danubii ripa duce Athanarico, altera in dextra Romanas in provincias recepta ducibus Fridigerno et Alavivo. Ex parte vero priore, quae in sinistra ripa Danubii remanserat, Thuringos exstitisse contendo. Gothi, qui duce Athanarico remanserant, fuerunt Thervingi, nam pars erant gentis, quibus Athanaricus jam antea praefuerat, qui princeps (sive judex) Thervingorum ab Ammiano aperte nominatur (Ammian. XXVII. 5. XXXI. 3). Duabus igitur in Danubii ripis hoc tempore Thervingi inveniuntur; nam Gothi etiam, qui Danubium sunt transgressi, ab Ammiano compluribus locis Thervingi nominantur. Quum denominatio haec Gothorum meridionalium,

---

provincias a. 375 sunt recepti, compluribus locis nominat Thervingos. Sed quod maximi momenti est, Athanaricum, qui ex Ammiani testimonio fuit Thervingus, nonne Gothum fuisse nonne bellum Valentis imperatoris in Athanaricum gestum (Ammian. XXVII. 5.) in Gothos ipsos esse gestum arbitremur? Res sane apertior est, quam ut expositione aliqua accuratiore opus sit. —

quos ita dicere liceat, causa, ni fallor, primaria fuerit, quod vestigiis Thervingorum in ripa sinistra Danubii remanentium neglectis historia eorum fere oblivioni tradita est, paucis quomodo ea sit exorta, mihi liceat exponere.

Gothi meridionales, priusquam Danubium transgressi sunt, sub Athanarici imperio fuerunt atque unicum ante Hunnorum invasionem effecerant imperium una cum iis, qui sub Athanarici imperio post divisionem factam remanserunt. Aperte hoc Ammianus indicat his verbis: „Populi pars major, quae Athanaricum attenuata necessariorum penuria deseruerat“ (populi pars major sunt Gothi meridionales). Ex narratione vero Ammiani perspicue intelligitur, divisionem Gothorum non ante sed post Hunnorum invasionem esse ponendam (cf. Zeuss 411. v. Sybel Entsteh. etc. S. 117. Waitz, Leben des Ulfilos S. 42.).

Nec tamen Gothi meridionales sunt habendi Thervingi, sed iis sunt adnumerandae gentibus Gothicis, quae Thervingorum principatum agnoscebant ideoque — ut saepius nomen gentis victricis in gentes dependentes transire solet — posteriore etiam tempore divisione facta, quamquam propriis nominibus utebantur, Thervingorum nomine a Romanis scriptoribus significabantur. Thervingos vero ante invasionem Hunnorum principatum de aliis gentibus Gothicis tenuisse, satis perspicue ex conditione apparet, qua Athanaricus, qui praecipuum, ut vidimus, princeps Thervingorum est habendus, cum gentibus inter Gerasum et Danastum habitantibus atque cum Thaifalis utebatur. Thervingorum sedes ad dextram Gerasi ripam erant sitae iique regiones Gothiae longissime ad occidentem, ad Pathissum versus vergentes habitabant; ab oriente finitimi fuerunt iis Thaifali prope ad Gerasum habitantes [8]).

---

[8]) Sententia haec Ammiani et Eutropii testimoniis confirmatur.

Quum tamen constet, Gothos etiam, qui inter Danastum et Gerasum habitabant, sub imperio Athanarici stetisse qui ad fluvium Danastum se Hunnis opposuit, verisimile fit, ut Gothi isti ita cum Thervingis fuerint conjuncti, ut principatum eorum aliquamdiu agnoverint. — Sententia haec Ammiani loco, ex quo apparet, in regionibus inter Gerasum et Danastum sitis gentem a Thervingis diversam — eam Greuthungos nominat — cui Athanaricus praeerat, habitavisse comprobatur. Ammianus enim, quum bellum a Valente imperatore in eos Gothos quorum dux erat Athanaricus, gestum exponat, ad tertiam expeditionem a Novioduno istas in regiones susceptam transiens pergit: „Simili pertinacia tertio quoque anno per Noviodunum navibus ad transmittendum amnem connexis, perrupto barbarico, continuatis itineribus longius agentes Greuthungos, bellicosam gentem aggressus est. Postque leviora certamina Athanaricum ea tempestate judicem potentissimum ausum resistere cum manu, quam sibi crediderat abundare, extremorum metu coegit in fugam".

Impetus a Valente in Greuthungos et proelium cum Athanarico commissum ita a scriptore conjuncta sunt, ut quin dux etiam Greuthungorum hoc loco commemoratorum Athanaricus sit habendus dubitari non possit. Rejicienda igitur est sententia eorum, qui verba a „postque leviora etc."

Athanaricus, quum ad Danastum ab Hunnis esset superatus, in dextram Gerasi ripam recessit atque regiones istas muro ab Hunnorum impetu defendit, quare quin ibi propriae sedes fuerint Thervingorum vix dubitari potest. (Ammian. XXXI. 3. „A superciliis Gerasi adusque Danubium Thaifalorum terras praestringens muros altius erigebat" cf. Zeuss 411.) Ex Eutropio Thervingi in sinistra habitabant ripa Danubii in Dacia, in regionibus igitur, quae ab occidente Gerasi fuerunt sitae. (Eutrop. VIII. 2: „Daciam, provincia trans Danubium facta in his agris, quos nunc Thaifali habent.) —

cum antecedentibus non esse conjungenda volunt (v. Sybel, Entstehung des Königthums S. 118), nec causa exstat, cur sententiam eorum comprobemus (Luden II. 540. Zeuss 411) qui existimantes vocem „Greuthungos“ errore scriptoris irrepsisse pro „Greuthungos“ legunt Thervingos.

Mirum quidem esse videtur, quod Greuthungi istis in regionibus habitaverint, quum satis constet, fines regni Greuthungorum, quorum rex Hermanrich erat, ab Danasto ad orientem versus patuisse. Fortasse Gothi isti Greuthungi ideo a Romanis scriptoribus nominabantur, quod priore tempore Greuthungorum principatum agnoverant atque eadem conditione cum Greuthungis erant usi, qua ante Hunnorum invasionem cum Thervingis utebantur. [9])

---

[9]) Duae exstiterunt ex mea sententia gentes Gothicae prae aliis potentia excellentes, Thervingi et Greuthungi; praeterea complures infirmiores (Thaifali, Victofali aliaeque, quarum nomina nobis sunt ignota). Infirmiores vero saepius, ut videtur, potentiorum ut principatum agnoscerent, aut Thervingorum aut Greuthungorum coacti sunt, et potentioris gentis nomine a Romanis scriptoribus significabantur. Sententia vero rejicienda est Thervingorum et Greuthungorum denominationes plane Ostrogotharum et Wisigotharum respondisse. (Zeuss 409. Leo, Universalgeschichte. 3. Aufl. II. 78.) Nam propter Thervingos occidentalibus in Gothiae partibus (aliae) gentes commemorantur (Thaifali et Victovali ab Eutropio et Ammiano loc. citat.) quos eodem jure Gothos veros, ut ita dicam, esse habendos quo Thervingos, existimandum est. Nego etiam, distributionem Gothorum in Ostrogothas et Wisigothas ante Hunnorum invasionem usitatam fuisse.

Wisigothas quinto demum saeculo commemorari omnes consentiunt. (Primum eos nominat Sidonius Apollinaris: carm. VII. 399. 431. et V. 476.) Ostrogothae quidem jam priore tempore a Pollione et Claudiano commemorantur. (Pollion. Claudii vit. c. VI. Scytharum diversi populi, Peucini, Trutungi, Austrogothi, Virtingui.... Claudian. in Eutropium II. 153. Ostrogothis colitur mistisque Greuthungis Phryx ager.)

Sed in loco Pollionis vox Austrogothi spuria est — annatatio esse videtur ad vocem antecedentem Trutungi, quae stat pro „Greuthungi“ (Zeuss 408. Luden II. 543.) atque Claudiani loco nihil aliud comprobatur, quam ut ea aetate, qua Claudianus flo-

Praeter incolas regionum inter Gerasum et Danastum sitarum Thaifali etiam a Thervingis dependisse videntur. Quod quum ex sedibus apparet, quae ii ad dextram Gerasi ripam tenebant, ita ut Thervingorum in medio essent positi et gentium ab iis dependentium, tum ex eo, quod muro, quo Athanaricus Thervingos ab impetu Hunnorum defendere studuit, regio etiam Thaifalorum muniretur (Ammian. XXXI. 3. cf. p. 21) [10]). Quae quum ita sint, verisimile

---

ruit (initio V. saeculi) vox „Ostrogotha" esset usitata; significationem vero is sua aetate exortam priorem in aetatem inconsiderate transtulit. Distinguit is — idem quod in Pollionis loco fit — Greuthungos ab Ostrogothis, quos, si revera Ostrogothae tunc temporis exstitissent, non diversos esse potuisse a Greuthungis satis constat. Nam Greuthungi sedes omnium Gothorum latissime ad orientem patentes tenebant. (Ammian. XXXI. 3. Pervasis Alanorum regionibus, quos Greuthungis confines Tanaitas consuetudo nominavit.)

Quod vero ad nomen regis Gothici „Ostrogotha" pertinet, inde argumentum gentem Ostrogotharum jam mature exstitisse deduci non potest. Nam quae causa est, cur nomen regis cum gentis cohaerere arbitremur? Posteriore demum tempore, quum, ut duae partes diversae Gothorum, Gothi in sinistra Danubii ripa habitantes ab iis in dextra (sive eo tempore, quum Gothi partem Galliae occupaverant) distinguerentur, Ostrogotharum nomen esset exortum, scriptores nomen regis cum gentis nomine arcte cohaerere et alterum ex altero esse derivandum conjecerunt. Quum nomen „Wisigothi" ante medium quintum saeculum nusquam inveniatur, inprimis vero Ammianus, qui Gothicarum gentium conditiones omnium optime cognovit, nil de Ostrogothis et Wisigothis memoriae tradat — (Jornandi (c. 14) ipsi distributio in Ostrogothas et Wisigothas erat ignota, sententiam historici Ablavii, quem secutus est, proponit) — significationem demum post diremtionem Gothorum a. 375 factam, ut divisae gentes inter se distinguerentur, exortam esse existimo.

[10]) „A superciliis Gerasi adusque Danubium Thaifalorum terras praestringens muros altius erigebat." Lectio ab aliis probata (Luden II. 549) „praestringentis" pro praestringens non solum cod. mass. auctoritati, sed etiam sensui, quem vult efficere scriptor, aperte mihi repugnare videtur. Verba „a Gerasi supercil. adusque Danubium" quibus longitudinem muri scriptor vult significare,

fit, ut, quum post Hunnorum invasionem divisio facta sit Gothorum, quibus Athanaricus praeerat, Gothi, qui Athanaricum tunc temporis deseruerunt, non Thervingi veri fuerint sed gentes a Thervingis dependentes, Thervingi vero ipsi sub Athanarici imperio (in sinistra Danubii ripa) remanserint. Per se ipsum apparet, gentes subjectas facilius occasione data Athanaricum deseruisse, quam gentem, qua ipse exortus erat. Optime vero mea sententia probata intelligitur, quo modo factum sit ut nomen Thervingorum meridionalibus in regionibus (in dextra Danubii sitis) mox plane evanuerit. [11])

---

arcte inter cohaerent se. Hoc concesso per se ipsum apparet „praestringens" cum „Gerasi fluminis" conjungi non posse.

[11]) Fridigernus, qui dux apparet Gothorum meridionalium, antiquis in sedibus Gothorum genti praefuisse videtur a Thervingis posteriore tempore subjectae atque nuntii scriptorum ecclesiasticorum de certamine Athanarici et Fridigerni (Socrates IV. 33. V. 10. Hieronim. VII. 32.) non ad internas discordias respiciunt Thervingorum ipsorum, sed ad bellum a Thervingis cum externa gente gestum, cujus sedes inter Gerasum et Danastum (p. 13.) sitae fuerunt.. Verisimiliter bellum inter Athanaricum et Fridigernum initio fere Valentis imperii gestum est, ita ut causa quodammodo belli (a. 367—369) inter Valentem imperatorem et Athanaricum (Ammian. XXVII. 5) gesti Fridigerni fuga ad Valentem fuerit. Nam res ita inter se, ni fallor, cohaerent. Fridigernus ab Athanarico superatus ad Valentem se contulit, non paulo postquam imperium ille adeptus est (a. 364—365). Quum benigne a Valente reciperetur, inimicitia exorta est inter Valentem et Athanaricum. Itaque factum est, ut Athanaricus adversarium Valentis Procopium, qui imperium sibi arrogabat, auxiliis adjuvaret (Ammian. XXVI. 6—9). Hac vero causa permotus Valens bello cum Procopio feliciter finito Fridigernum restituere studuit atque Athanarico bellum intulit. Concesso, rem se ita habere, optime intelligitur, cur Valens tertio belli anno a Novioduno expeditionem in regiones inter Gerasum et Danastum sitas susceperit. Bellum vero inter Romanos et Gothos gestum (a. 367—369) post fugam Fridigerni esse ponendum, jam ea de causa est existimandum, quod de uno tantum bello tunc temporis inter Romanos et Gothos gesto nuntius nobis affertur. Quum Fridigernus — si Socrati fides est habenda —

Quum fata Thervingorum duce Athanarico in sinistra Danubii ripa remanentium accuratius consideremus, primum eos ad regiones inter occidentem et septentrionem sitas, ita ut Ungariae, quae nunc dicitur, septentrionalis partem occuparent — esse profectos, deinde ab his regionibus latius ad occidentem versus esse progressos, ni fallor, satis perspicue cognoscere licet.

Eodem fere tempore, quo altera pars Gothorum Romanas in provincias recipitur, altera pars, Thervingi, qui Hunnorum impetui diutius resistere non possunt, ut novas sedes quaerant, coguntur. Sedes hae ubi fuerint, Ammianus indicat; „Athanaricus, inquit, ad Caucolandensem locum, altitudine silvarum inaccessum et montium, cum suis omnibus declinavit, Sarmatis inde extrusis“ (Ammian. XXXI. 4.).

Plerique historici in unum conveniunt (Zeuss 410. Leo I, 265. Menzel, Deutsche Geschichte I. 270.), quod locus Caucolandensis in Transsylvania situs fuerit. Quum vero constet sedes Gothorum ante Hunnorum invasionem occidentem versus per Transsylvaniam usque ad Pathissum patuisse, locum Caucolandensem non a Gothis, sed a Sarmatis, quum Thervingi eum occuparent, esse habitatum, haec sententia plane est rejicienda[12]).

At situm loci Caucolandensis Ammianus satis aperte indicat a Sarmatis eum fuisse habitatum enarrans. Difficilius quidem esset — quum nomen Sarmatum latius pateret — domicilia Sarmatarum hoc loco commemoratorum,

---

auxiliis Romanorum (Valentis) adjutus in regnum restitutus sit, bellum a Romanis pro Fridigerno gestum non diversum esse potest a bello, quod Valens cum Gothis gessit.

[12]) Fines Gothicos ad occidentem versus usque ad Pathissum ante Hunnorum fuisse dilatatos Jornandis loco (c. 22.) perspicue comprobatur. Anno fere 334 Sarmatae, — a Jornande per errorem Wandali nominati — ex sedibus, quas inter Pathissum et Transsylvaniam habebant, a Gothis rege Gebericho sunt expulsi.

quae fuerint, accuratius decernere, ni ab Ammiano ipso saepius Sarmatarum atque sedium ipsorum mentio fieret. Quum omnibus aliis locis Ammianus de una tantum Sarmatarum gente dicat, jure concludi potest, etiam hoc loco Sarmatas antea ab eo commemoratos dici. Hi vero Sarmatae vicini sunt Quadis, quibuscum consociati, Constantio, Juliano, Valentiniano imperatoribus perpetuas in Romanas provincias, superiorem Moesiam et secundam Pannoniam invasiones faciunt[13]).

Quadorum sedes in septentrionali parte Ungariae ad meridiem versus usque ad Danubium medium ad orientem usque ad Granum fere patuisse constat (Zeuss 464.). Sedes igitur Sarmatarum, quorum Ammianus mentionem facit, iisdem fere in regionibus, ab oriente Quadorum, inter Granum et superiorem Pathissum fluvium sitae fuerunt, ita ut ad septentrionem versus usque ad montem Carpathum, ad meridiem versus inter Danubium medium et Pathissum inferiorem se extenderent.

Concesso vero Sarmatas Quadis vicinos eosdem fuisse, quorum sedes Athanaricus cum suis occupat, sequitur, ut Thervingi septentrionali in Ungaria, inter Granum et Pathissum sedes occuparint, locus Caucolandensis non regio sit habenda Transsylvaniae sed montis Carpathi. Nam regiones Ungariae inter Danubium medium et Pathissum inferiorem sitas Thervingos tunc temporis habitasse ideo ex-

---

[13]) Ammian. XVII. 12. „Augusto — indicabant nuntii graves et crebri permistos Sarmatas et Quados, vicinitate et similitudine morum armaturaeque concordes Pannonias Moesiarumque alteram cuneis incursare dispersis (anno 358).

XVI. 10. 20. Imperator terebatur nuntiis indicantibus, Suevos Rhaetias incursare Quadosque Valeriam et Sarmatas, latrocinandi peritissimum genus, superiorem Moesiam et secundam populari Pannoniam.

XXVI. 4. Sarmatae Pannonias et Quadi (populabantur). XXIX. 6. cf. Zosim. III. 1. 2. IV. 16. Eutrop. IX. 6. Zeuss 462. 691.

istimari non potest, quod terra ab iis occupata ex Ammiani testimonio „altitudine silvarum fuit inaccessa et montium". Quum Hunni ab oriente occidentem versus in dies latius prorumperent — jam nonnullis annis post invasionem incolae commemorantur Pannoniae (Marcell. comes. ad a. 427 „Pannoniae, quae per quinquaginta annos ab Hunnis retinebantur"). — Thervingis ab iis expulsis non alia regio, quo se verterent, relicta est quam septentrionalis sive regio inter septentrionem et occidentem sita.

Sedes novas Thervingorum istis in regionibus, quas dixi, fuisse, Zosimi testimonio confirmatur. Alatheus enim et Saphrax, qui ex Zosimi narratione ad Rhenum cum Gratiano manus conseruerant, Danubium secundo flumine navigantes ad finem septentrionalem Pannoniae perveniunt. Priusquam Pannoniam ipsam transmeant, Athanaricum, qui iis a tergo fuit, expellunt. (Zos. IV. 34: *Διαπλεύσαντες οὖν ἐπὶ τούτοις τὸν Ἴστρον διανούμενοι τὴν διὰ Παιονίας ἐπὶ τὴν Ἤπειρον διαβῆναι .. τροφὰς πορίσασθαι ᾠήθησαν πρότερον Ἀθαναριχόντε πάντος τοῦ βασιλείου τῶν Σκυθῶν ἄρχοντα γένους ἐκποδῶν ποιήσασθαι πρὸς τὸ μηδένα κατὰ νώτου τὸν κωλύσαντα τὴν αὐτῶν ἐπιχείρησιν ἔχειν.*)

Aperte ex Zosimi verbis intelligitur, Thervingorum sedes Pannoniae fuisse finitimas, ad Danubium usque eas patuisse. Quin latius ad occidentem, ultra Granum, profecti esse atque Quadorum partem sedium videntur occupasse.

Quadi Suevicis gentibus sunt adnumerandi, ita ut saepius ampliori nomine Suevorum a Romanis scriptoribus significentur. (Sic Quados aperte ponit pro Suevis: Hieronimus ad Ageruchiam ad a. 409. M. Antonini vita Capitolin. c. 22. Aurelii Vobiscus c. 18. 33. cf. Zeuss 464.)

Quum Thuringos etiam Suevis certo tempore (quinto

medio saeculo) fuisse vicinos ex Jornandis testimonio[14]) constet, in universum fines antiquae Thuringiae late ad orientem[15]) versus patuisse videantur, ab iisdem regionibus, quas Thervingi habitarunt, posterioribus temporibus crebrae Avarorum et Ungarorum (Magyaren) invasiones internas in Germaniae regiones maxime in Duringicas et Saxonicas, factae sint (v. Ledebur S. 17. Leo I, 603.), quum Thervingorum nomen tunc temporis plane evanescat, his

[14]) Jornand. c. 55: „Emensoque Danubio Suevis improviso a tergo apparuit. Nam regio illa Suevorum ab oriente Bajobaros habet, ob occidente Francos, a meridie Burgundiones, a septentrione Thuringos.

Ex rebus ipsis, quas Jornandes enarrat, apparet, quod hi Suevi a septentrione medii Danubii, iisdem fere in regionibus habitarunt, in quibus Quadi commemorantur. Gothi qui tunc temporis in Pannonia habitabant ad dextram ripam Danubii, quum bellum Suevis inferant, Danubium transgrediuntur (emensoque Danubio). Socii deinde Suevorum in bello contra Gothos gesto nominantur (c. 54.) Sarmatae, Sciri, Gepidae, Rugi. Repugnant quidem huic sententiae aliae gentes Suevis vicinae, quas Jornandes affert, Alemanni etc. Sed vix dubium fit, quin, quum gentes Suevicas a se diversas non distinguat, conditiones geographicas, ut ita dicam, suae aetatis cum prioribus commutet. — Suevi ad fines Pannoniae habitantes sexto etiam saeculo commemorantur; cum Longobardis ii pugnant ad Pathissum habitantibus. Gesta Longob. I. 21. Longobardis se adjungunt in Italiam (568) proficiscentibus Gesta. Longob. II. 26.

[15]) Ad extensionem Thuringiae antiquae, conditiones respiciunt, quibus Thuringi initio sexti saeculi cum Longobardis in Moravia et cum Herulis, ad medium Danubium, inter Marum et Granum fere habitantibus, utebantur. Wacho, rex Longobardorum uxorem habuit filiam regis Thuringorum (Gesta Longobard. I. 21.). Heruli et Thuringi in exercitu Odoacri consociati fuerunt (Grimm. 498. propono „Turilingus“ eandem esse vocem atque „Thuringus“); ad conjunctionem Herulorum et Thuringorum (sc. vicinitatem) epistola respicere videtur Theoderici (Cassiod. Var. III. 3.) quae inscribitur „Regibus Herulorum, Thuringorum, Warnorum“... Extensionem deinde orientalem Thuringiae perspicue indicant Gesta Longob. IV. 12: „Hunni quoque a Pannonia in Thuringiam progressi“. Id. II. 10: „Quibus (Hunnis) ille in Thuringia occurrens eos juxta Albim fluvium ... superavit“.

jam indiciis sententia mea Thervingos eandem esse gentem atque Thuringos, fit probabilis.

Plerique historici, quod Athanaricus nonnullis annis post Hunnorum invasionem (a. 381) rex nominatur a scriptoribus antiquis Gothorum meridionalium (Jornand. c. 28. Orosius VII. 34. Marcell. chron. ed. Ronc. II. 268.), existimarunt Thervingos una cum Athanarico Danubium esse transgressos atque Romanas in provincias receptos (Zeuss 415. afferuntur ad Therving. Zosim. IV. 25. Eunapii excerpta ed. Bonn. p. 52, ubi initio imperii Theodosii (a fere 380) novas Gothorum copias ab Hunnis vexatas Danubium esse transgressos narratur, cf. Pfister Deutsche Geschichte S. 224.). Alii, quum Ammiani testimonio satis constet, Athanaricum non una cum gente sed solum fere atque fugitivum ad Gothos meridionales venisse (Ammian. XXVII. 5: „Valens Constantinopolim rediit, ubi postea Athanaricus, proximorum factione genitalibus terris expulsus, fatali sorte decessit et ambitiosis exsequiis ritu sepultus est nostro", cf. Gregor. Tur. II. 4: „Unde factum est, ut Athanaricus a regno expelleretur et esset exsul a patria") ideo eum esse expulsum voluerunt, quod contra populi sui voluntatem Hunnis se subjicere voluisset (Leo I, 265.). At Thervingos non solum novis in sedibus libertatem sibi reservasse, sed summa etiam potentia usos vicinis populis devictis latius ad occidentem versus esse profectos, Jornandis testimonio, ni fallor, perspicue comprobatur.

Jornandes, res enarrans Gothorum orientalium, eorum, qui post a. 375 in ripa sinistra Danubii remanserunt, aperte duas Gothicas nationes distinguit, altera cui Vinithar, altera cui Hunimund praeest. Res quidem harum gentium scriptor ita exponit, quasi iisdem eae in regionibus habitaverint atque non plane a se diversae, sed partes sint habendae unius populi Hunnorum invasione divisi.

Nam in locum Vinitharii, qui libertatis recuperandae studiosus pugna cum Hunnis commissa ceciderat, Hunimundus successit. At facile cognoscitur, a Jornande res duarum gentium plane a se diversarum atque magnis locorum spatiis diremtarum esse confusas. Gothi, quibus Hunimundus praeest, plane diversi sunt ab Ostrogothis, qui posteriore tempore dicuntur; nam sedes ii habent in vicinitate Suevorum quibuscum bellum gerunt (Jornand. c. 48 „Et mox defuncto Vinithario, rexit eos Hunimundus filius quondam regis potentissimi Ermanarici, acer in bello totiusque corporis pulchritudine pollens qui post haec contra Suevorum gentem feliciter gessit). Satis vero constat, Ostrogothas (scil. Gothi, quibus Vinitharius praeest) usque ad Attilae aetatem antiquis in sedibus, ab oriente Alpium Bastarnicarum, inter Danastum et Tanaim fluvios, remansisse. (Jornand. c. 33: „Ab Ostrogothis, qui adhuc in Scythiae terra Hunnorum oppressionibus subjacebant.“ c. 47: „Necesse nobis est iterum ad eorum Scythicas sedes redire“, c. 48: „(Ostrogothae) Hunnorum subditi ditioni in eadem patria remorati sunt.“)

Deinde Gothi, quibus Hunimundus praeest, magnam praebent potentiam. Hunimundus ipse cum Suevis, Thorismund filius ejus, cum Gepidis feliciter manus conseruit; nec plane silentio transeundum est, quod Hunimund cognomen gerit „Magnus“ (Jornand. c. 48: „rex Hunnorum ascito ad se Sigismundo Hunimundi Magni filio“). Ostrogothae vero post mortem Vinitharii Hunnorum ditioni ita subjecti fuerunt, ut ne reges quidem sed reguli iis praeessent (Jorn. c. 48. Balamber, rex Hunnorum, omnem in pace Gothorum populum subactum possedit, ita tamen, ut genti Gothorum semper unus proprius regulus — quamvis Hunnorum consilio — imperaret).

Huc accessit, quod a Jornande ipso, quum alio loco

(c. XIV.) reges Ostrogotharum ex stirpe Amalorum exortos certo ordine enumeret, Hunimund et Thorismund omittuntur. In locum Winitharii hoc loco filii ejus, Walamir, Theodemir, Widemir succedunt, qui Attilae aetate Ostrogothis praefuerunt, ita ut ordo regum Hunimundi et Thorismundi nominibus omissis non conturbetur.

Ad eosdem vero Gothos, quibus Hunimundus et Thorismund praefuerant, ab Ostrogothis diversos, duo alii loci Jornandis aperte, ni fallor, respiciunt. Wandalos et Alanos, is dicit, metu Gothorum permotos, sedibus antiquis relictis in Galliam esse profectos, Gothos igitur auctores nominat magni impetus gentium anno 406 in Rheni limitem facti (Jorn. c. 31: „Wandali et Alani, quos supra diximus, permissu principum Romanorum resedere nec ibi sibi ob metum Gothorum arbitrantes tutum fore, si reverterentur, ad Gallias transiere"). Ostrogothas, Hunnis subjectos, qui non regem sed regulos habebant atque tunc temporis antiquis in sedibus habitabant (cf. p. 22.) non dici per se ipsum fere apparet (sententia igitur rejicienda est eorum, qui Ostrogothas una cum Hunnis usque ad fines Pannoniae esse progressos putant (Luden Köpke Anfänge des Königthums bei den Gothen S. 139.). Non magis de Gothis Romanas in provincias receptis — Wisigothis — cogitari potest; nam brevi antea Jornandes eos in Gallia sedes occupasse narravit. Gothicam igitur gentem is aperte commemorat tertiam, adhuc nobis ignotam, quam ad Pannoniae fines sedes habuisse existimat. Ad eandem vero gentem Gothicam existimo Jornandem respicere altero loco, quo Marcomannos et Quados (Suevos scil.) aliquando a Gothis esse devictos dicit (Jorn. c. 16: „Sub cujus (gentis Gothicae) saepe dextra Wandalus jacuit, stetit sub pretio Marcomannus, Quadorum principes in servitutem redacti sunt").

Ambarum gentium res eo facilius confundi a Jornande poterant, quum verisimiliter jam mature, ut a Gothis meridionalibus eae distinguerentur, communi nomine (Ostrogothi sive Gothi orientales) significarentur — id quod loco Histor. Miscellae indicari videtur (Muratori Rer. Italic. I, p. 83: „Hi, qui cum Fridigerno occiduas petiverant regiones, ab occidente lingua patria Wisigothi, id est, occidentales Gothi, sunt appellati, hi vero, qui cum Athalarico in propriis sedibus remanserunt, Ostrogothi, id est orientales Gothi sunt dicti").

Si constat, id quod supra vidimus, Thervingos septentrionali in Ungaria sedes Suevis vicinas occupasse, si constat Gothos, ab Ostrogothis diversos, ad quos loci isti Jornandis respiciunt, iisdem in regionibus, in vicinitate Suevorum habitavisse, quin Gothi quibus Hunimund et Thorismund praesunt, Gothi isti a Jornande commemorati sint eadem gens atque Thervingi vix dubitari potest. Nam Suevos, quibuscum Hunimund bellum gerit, non aliam esse nationem, quam orientalem partem gentium Suevicarum, Sarmatis vicinam, Quados scilicet, perspicue apparet.

Thervingi igitur, concesso locos Jornandis a me allatos ad eos respicere, a Sarmatarum sedibus, quas ab initio occupaverant, latius ad occidentem versus progredi conati sunt. Vicinas gentes, Suevicas et Vandalicas ii bellis vexabant nec prius desistebant, quam partem Suevorum sive Wandalorum contrariam, qua via iis ad occidentem versus claudebatur, sedibus initio quinti saeculi expulerunt. Certo documento, Thervingos esse auctores expeditionis gentium Germanicarum a. 406 ad Rhenum versus, in gentibus iis, quae tunc primum Galliam deinde Hispaniam inundant, Quadi et Sarmatae in locum Suevorum ab aliis commemoratorum ab Hieronimo nominantur (Hieron. ad Ageruchiam ad a. 409: Innumerabiles et fero-

cissimae nationes universas Gallias occuparunt. Quidquid inter Alpes et Pyrenaeum est, quod Oceano et Rheno includitur, Quadus, Wandalus, Sarmata, Halani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemanni et o lugenda respublica hostes Pannonii vastarunt).

Res si ita se habent, non dubium fit, quin vestigia, ut ita dicam, Thervingorum aliis etiam in motibus Germanorum (eorundem scilicet quos vicinos fuisse Thervingis vidimus), qui sub fine IV. et initio V. saeculi referuntur, cognoscere liceat: in Wandalorum expeditione, quibuscum Gratianus imperator anno fere 381 in Gallia manus conserit (Jornand. c. 27: Quod quum Gratianus imperator, qui tunc Roma in Gallias ob incursionem Vandalorum recesserat, comperisset): in incursionibus adversus Danubii limitem (a. f. 395) quorum Claudianus mentionem facit (Claudian. in Rufin. II. 26—28: „Alii per terga ferocis Danubii solidata ruunt expertaque remos Frangunt stagna rotis): in invasione denique a. 406 in Italiam duce Rhadagaiso factae (Peter, Römische Zeittafeln. S. 248. Oros. VII. 37. Zosim. V. 26.).

Nec vero mirandum est, quod Thervingi novis in sedibus tantam vim praebuerunt. Nam omnes ad eos confluere debebant Gothi, qui ab itinere Romanas in provincias prohibiti, libertatis tamen amantiores, quam ut Hunnorum imperium tolerarent, ut ad novas sedes quaerendas properarent, cogebantur. Verisimiliter iis Greuthungorum manus se adjunxerunt, qui a. 375 Danubium Alatheo et Saphrace ducibus transgressi (Ammian. XXXI. 4.) posteriore tempore plane evanescunt. Zosimus loco allato (p. 19. Zos. IV. 34. „*ἐπιθέμενοι τοῖνον αὐτῷ σὺν οὐδενὶ πόνῳ τῶν τόπων, ἐν οἷς ἦν, ἀπανέστησαν*) Athanaricum ab illis expulsum esse dicit; quum ex Ammiani testimonio Athanaricus proximorum factione (p. 21. Ammian. XXVII. 5.)

patria expelleretur, amborum scriptorum nuntii ita fortasse sunt conjungendi, ut societate inter factionem Athanarico adversariam et Greuthungos istos facta, Athanaricus imperio spoliatus expelleretur; in locum vero Athanarici principes fortasse successerunt ex Greuthungis orti. Res si ita habet, facile intelligitur, quomodo Hunimund, a Jornande filius nominari potuerit Ermonrichi, regis Greuthungorum. — Thervingis fortasse etiam se adjunxerunt reliquiae eorum Greuthungorum, qui duce Edotheo a. 386 Romanas in provincias invasuri superabantur (Zos. IV. 38. 39. Claudian. de IV. consul. Honorii 623. cf. Zeuss 420—423).

Sub numero Vandalorum a Thervingis expulsorum Warni etiam fuerunt. Nam, si quinto medio saeculo, Theoderico regnante, in Hispania Warni commemorantur (Jorn. c. 44: „Theodericus praeponens Suevis, quos subjecerat, clientem Achiulfum". ... Is (Achiulf) siquidem erat Warnorum stirpe genitus, longe a Gothici sanguinis nobilitate sejunctus, idcirco nec libertati studens nec patrono fidem servans), quid magis verisimile fit, quam ut una cum Vandalis in Hispaniam (a. 409) Warni advenerint, quos Vandalicis esse gentibus adnumerandos ex Plinio satis constat? Si deinde ex eo, quod Warni variis in regionibus inveniuntur (commemorantur Warni a Procopio ad dextram ripam inferioris Albis, quibus a septentrione Dani habitant (de bello Gothico II. 15.), ab eodem (IV. 20.) ad Rheni ostia, ab Agathia (II. 21.) in exercitu Belisarii) satis perspicue intelligitur, antiquas sedes Warnorum certo tempore ab externo populo esse occupatas, ita ut pars populi oppressi libertatis amantior patria relicta novas sedes quaereret, indicium nobis datur, ni fallor, perspicuum, conjunctionis Thervingorum et Warnorum, initio V. saeculi exortae ejusdem scil. gentis, quam cum Thuringis aliquando

arcte conjunctam fuisse ex inscriptione legis antiquae Thuringicae certe scimus („Incipit lex Angliorum et Werinorum, hoc est Thuringorum". Gaupp, Das alte Gesetz p. 293; deinde Thuringi et Warni ut eadem gens commemorantur: Constitutio Canuti regis de Foreste ap. Spelman Glossar. Archaeolog. p. 240: „Quod secundum legem Werinorum i. e. Thuringorum" cf. Gaupp 85.) [16]).

---

[16]) Vandali mea ex sententia antiquas sedes iis in regionibus, quas Diocassii etiam aetate ab iis habitatas esse constat — a tergo Quadorum, ad superiorem Viadrum, unde et ad occidentem et ad orientem versus fines latius patebant (saltus Asciburgicus nominatur: montes Vandalici ap. Dio Cass. 55. 1. ῥεῖ δὲ (ὁ Ἄλβιος) ἐκ τῶν Οὐανδαλικῶν ὀρῶν) — usque ad a. 406, quum ad occidentem versus profecti sunt, obtinuerunt. Sententia ab historicis probata (Zeuss 445. Leo I, 272. 273.) Vandalos sedibus antiquis relictis, priusquam Galliam et Hispaniam inundarunt, primum partem Ungariae a Pathisso inferiore ad orientem versus se extendente, deinde Pannoniam incoluisse, uno praecipue loco Jornandis confirmatur. Is enim enarrat, Vandalos ex sedibus, quas ad Pathissum tenuissent, a Gothis Gebericho regnante (a. f. 334) expulsos atque in Pannoniam, Romanam provinciam, ab imperatore Constantino esse receptos (Jorn. c. 22: „Quo tempore erant in eo loco manentes (Vandali scil.), ubi Gepidae sedent, juxta flumina Marisia, Miliare et Gilpil et Grisia, qui amnes supradictos excedit. Erant namque illis tunc ab oriente Gothi etc. . . . Tunc perpauci Vandali qui evasissent, collecta inbellium suorum manu, infortunatam patriam relinquentes, Pannoniam sibi a Constantino principe petiere ibique per LX. annos plus minus sedibus locatis, imperatorum decretis incolae famularunt").

Jornandes vero duplici modo sibi ipsi repugnat. Primum enim, quum hoc loco Vandalos quiete LX. annos in Pannonia habitasse dicat, altero loco invasionis mentionem facit a Vandalis in Galliam Gratiano imperatore, qui a. 383 occisus est, factae (Jorn. c. 27. cf. p. 25.). Deinde, si Jornandes, perpaucos tantum Vandalos caedem effugisse aperte dicit, sane non intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut his ex perpaucis ii Wandali exorti sint, qui initio V. saeculi tantos motus gentium efficiunt, qui summam praebent potentiam. Atqui ab Ammiano — qui invasiones Quadorum et Sarmatarum saepius commemorat, qui in universum res in Pannonia atque in finibus medio IV. saeculo gestas accuratius exponit, Vandalorum nec ad Pathissum nec in Pannonia ipsa habitantium mentio fit. Si igitur constat eodem fere tempore, quo

III.

At nonnulla alia accedunt indicia, quae iis, quae dixi, adjuncta, ad sententiam meam confirmandam Thuringorum originem esse deducendam a Thervingis satis sunt valida.

Primum vox „Thuringus“ e lingua Gothica deducta ad Gothicam Thuringorum originem respicere videtur, cujus vocis radix aperte est habenda prior pars „Thur“ ter-

---

Vandalos in Pannoniam se contulisse Jornandes exponit, Sarmatos a servis expulsos a Constantino Romanas in provincias esse receptos, praesertim quum saepius res gentium diversarum a Jornande confundantur, satis perspicue, ni fallor, apparet, errore scriptoris „Wandali“ vocem pro „Sarmatae“ irrepsisse. — Alii vero loci, qui afferuntur ad sententiam confirmandam, sedes antiquas a Vandalis esse relictas nil sane valent. Nam etiamsi constet Vandalos sub fine tertii saeculi manus conseruisse ad fines imperii Romani cum Aureliano imperatore (Dexippi exc. ed. Bonn. p. 19. 20. Zosim. I, 48. 49.), deinde cum Probo (Vobisci Probus c. 18.), aperte tamen intelligitur pugnas illas cum manibus tantum circumvagantibus, non toto cum populo esse commissas. Apud Dexippum et apud Probum pugnis cum Romanis commissis hostes, qui supersunt in patriam redeunt (exc. ad Bonn. *ὁ δὲ λοιπὸς ὅμιλος ἐπ᾽ οἴκου ἐκομίζετο, παρέχοντος τοῦ Ῥωμαίων ἄρχοντος ἀρογὰν ἔστε τὸν Ἴστρον.* Vobisc. „Paucis domum cum gloria redeuntibus, quod Probi evasissent manus“; incertum etiam est num pugna a Probo cum Vandalis ad Rhenum sive ad Danubium sit commissa; ex Zosimo (I, 68.) ad Rhenum est commissa; id, quod Zeuss S. 447. negat).

Quae quum ita sint, causa ulla, cur antiquas sedes ante initium V. saeculi a Wandalis esse relictas existimemus non exstat, praesertim quum arctam conjunctionem, qua Wandali Hispanienses cum Silingis, qui pars eorum commemorantur (Idat. chron. „Wandali Silingi“ chron. Moissac. cf. Zeuss 455.) utuntur, consideremus. Nam non verisimile fit, ut Silingi nusquam antea commemorati, regiones, quae ab iis nomen deducunt usque ad nostram aetatem, priusquam in Galliam a. 406 profecti sint, reliquerint. — Error vero Wandalos ex Romanis provinciis adversus Rheni limitem prorupisse, eo facilius irrepere potuit, quod jam mature manui cuidam Wandalorum, ei scilicet, quae sub Aureliano imperatore Romano stipendia meruit (Dexipp. excerpt. ed. Bonn. 20. 21. cf. Zeuss 446.) sedes Romana in terra sitae, ut videtur, concessae sunt.

minatio pars posterior „ing“. Eadem vero vox „Thur“ saepius Gothicis in nominibus propriis invenitur (ut Thorismund ap. Jornand. c. 36. 43. 48. Thorismodus ap. Greg. Turon. II. 7. Turimodus ap. Gest. Longob. I. 23; *Θορισίνος* ap. Proc. IV. 18. Turisendus Gest. Long. I. 23.). — „Thur“ in Thuringus non diversam esse a Thur. voce in Gothicis vocabulis, perspicue ex eo apparet, quod utraque pro „Thur“ forma exstat „Thor“ ita ut Thor antiquior sit forma, Thur recentior. (Thoringi usitata forma est apud omnes fere scriptores antiquos, Sidonium Appollinarem, Gregorium Turonensem, Procopium (*Θόριγγοι*); formam Thur habet: Aethicus, Jornandes: confer. supra: Thorismod et Turimod; *Θορισίνος* et Turisendus.) [17])

Vox vero Thervingi forma esse videtur corrupta, ut Germanicarum gentium nomina a Romanis scriptoribus saepissime mutilantur, ut pro „Thervingi“ loco Pollionis allato corruptissima invenitur forma „Virtingui“; nec majoris est momenti, quod apud complures scriptores forma „Thervingi“ invenitur; error ex unius scriptoris lectione, ejusdem qui primus Thervingorum mentionem fecit, (Mamertini) irrepere potuit. Verum nomen Thervingorum primus omnium, ni fallor, Aethicus dicit. Ex situ terrae

---

[17]) Jam priore tempore ii, qui originem Thuringorum a Gothis deducebant, nomen etiam eorum e lingua Gothica esse sumptum exsistimarunt. (Sagittar. I, 4.) Thur sive Thor significat: kühn, Thoringi igitur: die Kühnen. Memorabile est, ut medio tertio saeculo a Jornande dux Gothicus, cui nomen est „Thuro“ commemoretur (Jornand. c. 20: „Hoc in omni lascivia resoluto, Respa et Veduco, Thuro Varoque duces Gothorum sumptis navibus Asiam transiere“). Existimari quidem potest, ab nomine nobilis ducis nomen gentis esse deducendum, eodem modo, quo posteriore tempore a Lothario Lotharingos, a Carolo Carlingos deductos esse videmus (Luden II, 395.); sed magis verisimile fit, ut gentis nomen antiquius sit quam ducis et ab hoc illud derivandum. (Zeuss 408. ut nomina propria Saxo, Franco, Friso a gentium nominibus sunt derivata.)

ab iis habitatae, ex ordine enumerationis — inter Gothos et Sarmatas Thuringos enumerat (Aethici Cosmograph. ed. Lugd. 1646. p. 477 „Oceanus occidentalis habet: Gothos, Thuringos, Herulos, Sarmatas, Marcomannos, Longobardos, Suevos etc.“) — quum scriptor sedes gentium quas ante Hunnorum invasionem tenuerint, describat (Bernhardy Röm. Litteraturgesch. II. 1. Aufl. §. 113. S. 650—653.) concludi potest, Aethicum nullam aliam gentem dicere nisi Thuringos et antiquis in sedibus habitantes et ab aliis scriptoribus Thervingos nominatos.

Praeterea aliorum nominum similitudo exsistit, Thuringicorum et Gothicorum. Nam cohaerere videtur vox, Ermanarich (Ermenrich) cum voce Thuringica „Ermanfrid“ (Hermenefredus) (J. Grimm 449. 598.). Praeterea, ut nomen transeam filii Hermanfridi, regis Thuringorum „Amalafredus“, mentionem facio vocis „Basinus“ antiqui Thuringorum regis, quae vox Gothica est habenda (Leo I, 356.).

Fabulas etiam Thuringicas cohaerere cum Gothicis nominum propriorum similitudine Thuringici „Iring“ et Danici „Iborduring“ confirmari videtur, quum vox Iring verisimiliter non nisi breviata forma sit vocis „Iborduring“ (J. Grimm 598. cf. Mascou I, 437. Sagittar. I, 4. 8.).

Intelligitur deinde, quo modo factum sit, ut Thuringi ab omnibus scriptoribus antiquis, qui mentionem eorum faciunt, a Vegetio Renato, Sidonio Apollinari, Cassiodoro, Procopio, Jornande, Gregorio Turonensi tamquam nota gens commemorantur (Luden II, 394. 395. Gaupp 71. F. H. Müller I, 368.). Memoria enim Gothicae Thuringorum originis non plane evanuit, quamquam, omnibus illis scriptoribus eam notam fuisse, multum abest, ut contendam. Vestigium vero talis scientiae in Procopii loco, ni fallor invenitur, ubi Amalafredum, filium Hermanfredi, Gothum esse aperte dicit. (Proc. IV. 25 „Ἀμαλαφρίδος, Γότθος

ἀνήρ, Ἀμαλαφρίδης μὲν θυγατριδοῦς, τῆς Θευδερίχου, τοῦ Γότθων βασιλέως ἀδελφῆς, Ἑρμενεφρίδου δὲ υἱὸς τοῦ Θορίγγων ἡγησαμένου"). Procopium non solum ad Gothicam Amalafredi matrem alludere, ex eo apparet, quod Amalafredus filius regis Thuringorum a scriptore perspicue nominatur.

Deinde ad Gothicam Thuringorum originem locus Gregorii Turonensis respicere mihi videtur, quo crudelitates a Thuringis aliquando in Francos captivos commissas describit. (Gregor. III. 7: „Irruentes (scil. Thuringi) super parentes nostros, omnem substantiam abstulerunt, pueros per nervum femoris ad arbores appendentes; puellas amplius ducentas crudeli nece interfecerunt, ita ut ligatis brachiis super equorum cervicibus ipsis acerrimo moti stimulo per diversa petentes, diversas in partes feminas diviserunt" etc.). Quodsi hunc locum cum illo Jornandis conferamus, quo mores Gothorum in Dacia habitantium describuntur, crudelitates ad mores Gothorum vehementer nos admonent (Jornand. c. 5: „Quem Martem Gothi semper asperrima placavere cultura. Nam victimae ejus mortes fuere captorum opinantes bellorum praesulem aptius humani sanguinis effusione placandum. Huic praedae primordia vovebantur, huic truncis suspendebantur exuviae").

Thuringi igitur et Gothi summam praebent crudelitatem in captivos; verisimiliter Thuringi etiam eadem causa ad captivos occidendos permoventur qua Gothi, pietate in deos; iisdem etiam suppliciis atque caeremoniis utuntur. Thuringi enim „pueros per nervum femoris ad arbores appendebant": Gothi exuvias truncis suspendebant; Thuringi deinde mulieres equis divellunt: idem supplicium apud Gothos usitatum fuisse, — apud alias gentes Germanicas quantum scio inauditum, — ex alio loco Jornandis

apparet. „Ermanarich (is enarrat. c. 24.) mulierem nomine Sanielh, pro mariti fraudulento discessu equis ferocibus illigatam incitatisque cursibus per diversa divelli praecepit".

Non plane deinde negligendae mihi esse videntur arctae conditiones, quibus initio sexti saeculi Thuringi non solum cum Gothis, sed etiam cum populo Gothis semper consociato, cum Herulis utebantur.

Theodericus, rex Ostrogotharum in Italia habitantium invitat regem Thuringorum, ut pro Alarico rege Wisigothorum de pace sustinenda apud Chlodevaeum regem Francorum intercedat (Cassiod. Var. III, 3.); Hermanfrido deinde neptim suam Amalabergam in matrimonium dedit. (Var. IV, 1.) Hae nuptiae praecipuum — etiamsi aliis de causis, ex communitate utilitatum regum declarari possint, tamen ad antiquiorem conjunctionem, ad nationum ambarum propinquitatis conscientiam, ni fallor, respicere videntur, praesertim quum omnes aliae nationes, quibus Theodoricus connubiis se adjungere studuit, Francis exceptis, Gothis fuerunt propinquae, Wisigothae, Wandali, Burgundiones.

Cum Visigothis etiam Thuringos aliquando amicitia fuisse conjunctos, ex verbis intelligitur Cassiodori his (Var. III, 3.): „Recolite namque Eurici senioris affectum, quantis vos juvit semper muneribus, quoties a vobis proximarum gentium imminentia bella suspendit. Reddite filio ejus gratiam quam tamen agnoscitis vestris utilitatibus attributam. (Fortasse quidem haec verba ad Herulos solos respiciunt, quos sub Eurici imperio stipendia fecisse ex Sidonii Apollinari (epistol. a Bardegala VIII, 9.) constat.

Iisdem fere in sedibus, quas Thervingos tenuisse vidimus, septentrionali in Ungaria ad superiorem Pathissum

sub fine V. et initio VI. saeculi p. n. Chr. Heruli habitarunt (Zeuss 479.). Si igitur ex inscriptione epistolae Cassiodori supra commemoratae (Var. III. 3. „Regibus Herulorum, Varnorum, Thoringorum"), ex incursionibus Herulorum et Thuringorum sub fine V. saeculi easdem fere in regiones factis (Heruli diripiunt Juvavum. Eugippii vita Severini c. 24., Thuringi Batava ibid. c. 27. 31.), ex eo denique, quod Turilingi una cum Herulis in exercitu Odoacri commemorantur (lege locos ap. Zeuss 489.), satis perspicue cognoscere licet, Herulorum et Thuringorum fines se attigisse, indicium aequitatis Thervingorum et Thuringorum non plane contemnendum nobis datur.[18])

---

[18]) Causa, cur duas partes Herulorum inter se diversas, alteram liberam atque aliquamdiu potentia florentem, quorum Procopius mentionem facit (Procop. de bell. Gothico II. 14. Gesta Langob. I. 20.), alteram Thuringis ita adjunctam, ut regem e Thuringis exortum haberet (fratrem Hermanfridi scil.) — sententia haec est, quam proponit Leo Vorles. I. 240. 243. 244. 355. — eo tempore, quo epistola Cassiodori (Var. III. 3.) conscripta est exstitisse existimemus, mea ex sententia plane non exstat. Contra Herulos hac epistola commemoratos non diversos fesse a liberis Herulis septentrionali in Ungaria habitantibus eo confirmatur, quod Ostrogothas cum illis societate esse conjunctos, altera ex Cassiodori epistola (IV. 2. ex qua apparet Herulorum regem filium armorum, qui dicitur, a Theoderico esse assumptum) accurate cognoscimus.

Ex vulgari sententia epistola illa (Var. III. 3. praeterea III. 1—2. II. 51. ad Visigotharum, Burgundionum, Francorum reges, quae eodem consilio conscriptae sunt) paulo ante pugnam Vogladensem, qua Visigothae a Francis superabantur, anno igitur fere 507 sive 506 conscripta est. (Mannert, älteste Geschichte der Deutschen S. 119. **Manso,** Gesch. des Ostgoth. Reichs a. a. O. 62—63.) At epistolam jam priore tempore, a. fere 500 esse scriptam, ex loco Gregorii Turonensis jure, ni fallor concluditur. Gregorius enim enarrat, postquam bellum inter Chlodevaeum et Gundobadum, bellum deinde inter Gundobadum et Godegiselum fratres gestum exposuit, societatis etiam Gundobadi et Alarici mentionem fecit, Alaricum et Chlodevaeum legatis antea ab Alarico missis, in Ligeris insula convenisse, ubi societatem et amicitiam inter se constituissent (Gregor. Tur. II. 35.). Jure opinari licet, conven-

Denique Thuringos non antiquitus in sedibus, quas V. et VI. saeculo tenebant, habitasse, sed partem quidem eorum advenas fuisse, qui ex orientalibus antiquae Germaniae regionibus immigrarunt et lege antiqua Thuringorum (p. 47.) et aliis indiciis comprobatur.

Ex antiqua lege Thuringorum intelligitur, Thuringos antiquos conjunctione atque mistione, ut ita dicam, gentium Germanicarum moribus atque institutionibus a se diversarum occidentalium et orientalium esse exortos. Ut enim gentes Germanicae occidentales moribus atque reipublicae institutionibus ab orientalibus differunt, quae discrimina videlicet in societates gentium ex iis exortas transierunt, sic antiquis in legibus Germanicis nobis reservatis discrimina ea cognoscere viri docti studuerunt, jure existimantes, ex iis, quanta propinquitas inter singulas gentes Germanicas exsistat, saepius posse cognosci. (Gaupp, das alte Gesetz der Thüringer 62—65. S. 241—263. F. H. Müller I. 368. 369.) Talis vero conjunctio non alio modo exoriri potuit — nam existimari non potest sponte gentes tam diversas societatem iniisse — quam vi alteri genti ab altera adhibita, quam eo, quod altera gens alteram ditioni suae subjiciebat. Indicium igitur nobis datur perspicuum, quod gens Germanicis gentibus orientaibus sive Gothicis adnumeranda occidentales in Germaniae regiones expugnando sit progressa. Nam Suevicae gentes,

---

tum hunc studiis Theoderici, quorum testimonia quatuor istae epistolae Cassiodori exstant, esse effectum, praesertim quum ante conventum ab Alarico legatos esse missos cognoscamus. Conventus vero non paulo post bellum inter Gundobadum et Godomarum ponendus esse mihi videtur, a. fere 500. Nam tunc temporis causa exstitit inimicitiae Francis in Visigothas gravissima, quum Alaricus in bello commemorato inter Gundobadum et Godegiselum Gundobado se praebuisset amicissimum; Alarico etiam Gundobadus Francos, quos Vienna expugnata socios Godomari ceperat, custodiendos tradidit. (Greg. II. 33.)

quae Germanis orientalibus ab aliis historicis adnumerantur, ut Hermunduri, Narisci etc. majore propinquitate cum occidentalibus (Chattis, Etruscis, Francicis gentibus) erant conjuncti, quam ut mores earum et institutiones nimis ab illarum institutionibus abhorruisse arbitremur (Plin. IV. 27. Hermunduros, Chattos, Cheruscos uni et eidem adnumerat societati gentium Hermionum „Hermiones, quorum pars Suevi, Hermunduri, Chatti, Cherusci").

Eo tempore, quo regia potestas apud Francos erudiri coepta est, medio quinto saeculo, quo multum tamen afuit, ut firmum jam et unicum regnum Francorum exsisteret, vestigia inveniuntur unius regni Thuringici atque regiae potestatis apud eos eruditae. Si vero constat omnia regna Germanica victoriis et armis esse constituta (Leo I. 277) ita ut in terris armis subjectis regia potestas, qualis posteriore tempore apud Germanos invenitur, sit erudita, per se ipsum verisimile fit, ut simili modo regnum Thuringicum sit constitutum. Regnum igitur Thuringicum ipsum indicare videtur, Thuringos regiones, in quibus sedes habebant, armis sibi subjecisse antiquos incolas partim expellentes partim sub imperium subjungentes. Ad immigrationem Thuringorum locus Gregorii Turonensis, quo Thuringi advenae nominantur, respicere videtur „Ac recolite quondam Thuringos super parentes vestros advenisse", is (III. 7) dicit. E voce „advenisse concludi potest, impetum non vicinae, sed alienae nationis aliis ab sedibus profectae dici; alio loco, quo mentio fit impetus Francorum vicinum in populum, in Saxones facti, eadem in phrasi pro advenisse exstat" venisse (Greg. IV. 14).

Res si ita se habent, perspicue intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut regnum Thuringicum antiquum, quamquam latam finium extensionem atque magnam potentiam praebuerit, breve per tempus impetui Francorum resistens

uno bello interierit. Eadem causa, qua alia regna Gothica Romanis in provinciis constituta celeriter interierunt, Thuringici etiam regni excidium repentinum est effectum. Quum enim advenae victores indigenis subjectis non commiscerentur, continuo igitur in regno duae factiones sibi inimicae exsisterent, veram potentiam atque internas vires, Thuringi nunquam potuerunt adipisci. Itaque, ab hoste externo oppugnati, diu resistere non potuerunt, quum indigenae cum hostibus sè conjungere mallent, quam oppressores adjuvare. (G. Waitz, Verfassungsgeschichte II. 62. 63. „Es ist noch immer nicht erklärt, wie so leicht und fast ohne Widerstand zu leisten, meistens nur in einer Schlacht besiegt, die grossen deutschen Stämme der fränkischen Herrschaft sich unterwarfen. Allerdings bleibt Vieles nur desshalb dunkel, weil uns die genauern Nachrichten abgehn; aber wenn auch von einigen Kämpfen mehr berichtet würde, den eigentlichen Zusammenhang des Ereignisses würden wir gleichwol schwerlich erkennen. Offenbar waren die alten Zustände gebrochen und ohne Kraft sich aus sich selbst heraus zu einer festern Einheit zu bilden.“)

VITA.

Natus sum Carolus Otto Adolphus Gloël, Wusterwitzii Saxo-Borussorum anno h. s. XXXVIII. Id. Octobr. patre Friderico, matre Francisca e gente Poyda, quos adhuc in vivis esse maximo opere gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis Graecae et Latinae linguae elementis privatim instructus ab a. LI—LVIII. primum gymnasium Quedlinburgense, deinde Islebiense frequentavi. Anno LVIII. maturitatis testimonio munitus, ut ad studia philologica et historica adirem per septem anni dimidia disserentes audivi viros clarissimos: Jenae inprimis Droysen, Halis Bernhardy, Bergk, Leo, Dümmler. Quibus viris omnibus de me optime meritis ex animi sententia gratias ago vel maximas. Sodalis et regii seminarii philologici exercitationibus et historicis Duemmlero magistro aliquamdiu interfui atque diutius interfuissem, ni interruptionem quandam studiorum voluntarium militiae munus, quod dicitur, ab auctumno a. LIX. a me sustentum effecisset.

THESES.

I.

Quaestores parricidii et aerarii non idem, sed inter se diversi magistratus fuerunt.

II.

Germanicus per Pisonem et Plancinam vita privatus est.

III.

Vandali a. 406 *ex antiquis sedibus in Galliam profecti sunt.*

IV.

Origo Burgundionum Gallicorum a Burgundionibus orientalibus deducenda est.